REVERENDO IN CHRISTO PATRI, D. D. IOANNI HEVRTAVT, S. VICTORIS PRIORI MERITISS. ET REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS D. D. HENRICI DE GONDY PARISIENSIS EPISCOPI VICARIO GENERALI, ANDREAS DV CHEMIN S. P.

QVIS ſum, quis tibi ſum (Vir Meritiſſime) qui concertationibus his Medicis nomen tuum clariſſimum audeo præfigere? Is certè qui tuam colit pietatem, admirari non deſinit prudentiam; Is, quem tuus erga ſe, ſuoſq; animus tuum totum fecit, tibi totum vendicauit, nec inuitum. Quis enim inuitus eius erit, cuius & dici & eſſe cupiunt Magnates plurimi, non infimæ ſortis innumeri? adeò multos & morum quâ micas optimo cuique venerandus ſanctitas, & omnes iuuandi connatum tibi ſtudium, & in agendo, regendoq; ſumma tua prudentia arctè tibi deuinxêre! Quippe actiuam contemplatiuæ ita coniunxiſti, vt huic dum vacas ſedulus, illâ in maxima tuorum commoda ſcias, quaſi ad eam natus, prudenter vti. Hoc, etiam tacens, loquitur S. Victoris domus, ſanctitatis veræ typus, aliarum lumen, domus pacis. Hoc teſtantur quibus frueris principum S. Eccleſiæ amicitiæ. Hoc palam faciunt tot clarorum virorum vbique in te obſequia. Hoc prædicabit in æternum tibi mihiq; communis parens patria, quæ, tam charo gaudens alumno, te vno omnium ſuorum ore ſuum decus, ſuum præſidium iure vocitat. Quam vt piam matrem ſequutus numini tuo, ad obſeruantiæ in te meæ, obſequijq; perpetui fidem, arma hæc poſtremæ arenæ, vt rude mox donandus, appendo; Quæ ſi eo, quo ſoles iſtas aliorum in te fidei teſſeras, vultu accipis, vici. Viue tibi tuiſque diu ſanus. E Lexoueo 15. Kal. Maias.

AD CARDINALITIAM QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDIC. PARISIENS. DIE IOVIS XVIII. APRIL. M. NICOLAO ELLAIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

Eſtne dies vigeſimus criticus?

NVLLA vis decernendi diebus, nec vt ſignis, nec vt cauſis: nil namque mutationi cum numero, niſi quatenus cum tempore. Quia tamen naturâ (cuius ordinati motus, imo inordinatiſſimi) in acutis iudicandis motum lunæ, vt principis monarchæ Solis, terrena immutantis ſequente, circuitus motuum ad ſtata tempora peruenire contingit, hinc dies quidam critici, non ratione magis quàm experientiâ quærendi, nuncupati, quibus ſæpè & bona criſis, ſubita in morbis ad ſalutem conuerſio, ſolis acutis (quorum terminus dies decimusquartus, imo ſupra quadrageſimum) quin & longis tribuenda. De qua Medico præſciendum, non tantùm an futura, ſed etiam per excretionem, an per abſceſſum: per quam excretionis ſpeciem, per quem abſceſſum: quo tempore, quâ die & horâ: bona, an mala: perfecta, an imperfecta futura ſit. Futuráne ſit dicet motus morbi, ex tempore partium acceſſionis deſumendus; eiuſdem forma, ex propriis accidentibus, vt inſultu acceſſionum, aſcenſu, ſtatu, declinatione, caloris qualitate, pulſu, & ſuperuenientibus dignoſcenda; Magnitudo (quia magna iudicantur omnia, parua ſoluuntur) ex propriorum accidentium quantitate ſpectanda; anni tempus, ætas, vires (non etenim fit criſis ſine colluctatione) regio, natura, & ſuperaccedentia, non omnia.

EXCRETIONEM præter hæc ipſa prædicunt morbi calor, pulſus altus & vehemens, criſis futura primis periodis præcognita: abſceſſum ferè contraria; an ad inferas, an ad ſuperas partes arguit naturæ motus. Per vomitum excretionem prænuntiant morſus ſtomachi, dolor capitis mordens, vertigines, tenebræ, agitatio labri inferioris, multum ac tenue ſputum, pulſus durus, frigus partium infra præcordia. Per ſudorem (qui frigidus in acutis mortem, in aliis longitudinem dicit, particularis malus) pulſus vndoſus & mollis, rigor vrinâ & aluo ſuppreſſis. Per fluxum ſanguinis è naribus fulgoris motus apparentes, obtuſiones oculorum, lacrymæ, rubor oculorum, malarum, narium; præcordiorum indolens tenſio (dolorifica inflammationem ſequitur) difficultas ſpirandi, dolor capitis grauis, tenſiuus, pulſans, calidus. Per menſtrua lumborum magna grauitas, tenſio, dolor. Per hæmorrhoidas conſuetudo, & aliorum ſignorum defectus. Per alui excrementa ructus, flatus, crepitus ventris, eiuſdem inflatio. Per vrinas hypogaſtrij grauitas, ardor pudendi, multæ & craſſæ toto morbo vrinæ. Tempus criſis ex temporum vniuerſalium (non dierum numero, ſed coctione definiendorum) prænotione, viribuſque prænoſcitur. Diem & horam præmonſtrant acceſſio, motus, moſque morbi, & dies contemplabilis. Tempora, etiam in exactè peracutis diſtincta, commonſtrant morbi conſtitutio, anni tempus, ætas, regio, acceſſionum longitudo, incrementum, vehementia.

ITEM poſt apparentia tum communia, cùm propria, maximè verò omnium coctionis ſigna, quæ quouis tempore bona, non tamen criſim futuram dicunt ſemper, ducenda in affectibus ventriculi, inteſtinorum, & cauæ hepatis ab excrementorum alui maximè; in morbis viſcerum, præcordiorum, & venoſi generis ab vrinarum (à quibus, quàm à pulſu coniectura certior, contra.) In morbis thoracis à ſputorum ſubſtantia, quantitate, qualitate, & mixtis. Optimæ criſis certa, facilis, & exacta prænotio, malæ non item; in optima namque motus ordo, in mala nullus. Illam dicunt coctionis ſigna, quibuscum nemo interit, proindeque nec in declinatione vniuerſali, licet in particulari ſæpe, diſſoluto habitu. Quemadmodum verò optima non fit quouis morbi tempore, ſed in ſolo ſtatu, qui in acutis interdum duabus, nonnunquam tribus acceſſionibus, vnâ, vt plurimùm, terminatur: non in principio (quod ab hora manifeſtè læſæ actionis incipit) quia tum cruda omnia: non in augmento, quia tunc incipiunt coqui, niſi mala, imperfecta, periculoſa. Sic nec quouis die, ſed critico, indicata ab indice. Septimus omnium primus non numero, ſed poteſtate & dignitate: hunc imitatur quartusdecimus, cui proximi nonus, vndecimus, vigeſimus; prope hos tertiusdecimus & quintus: poſt hos quartus, quem ſequuntur tertius & decimusſeptimus. Primus dies non iudicat, proindeque diariarum nulla criſis, vix ſecundus.

TERTIVS, criticorum initium, quintus & ſextus iudicant in peracutis, in quibus poſt principium rari coincidentes, anticipatione aut delatione criſis, ex motu morbi, more, errorum magnitudine & acceſſionum figura prænoſcenda; irritatâ naturâ ab externis, internis vi morbi, cauſæ, ſymptomatum, & acceſſionis; crudâ materiâ, vnde bonorum cum malis excretio. Contra ſeptimus naturæ motu, expultricis robore, coctis humoribus, ad ſalutem, perfectè, tutò, manifeſtè, cum ſignis, hunc ſiquidem indicat quartus quamuis & ſexti quoque index. Septimanæ periodi validiſſimæ propter magnas in iis lunæ mutationes, quas imitantur quaterniones, nec mediocrem vim habent vigeſimi circuitus, omnium abſolutiſſimi. Ad decimumquartum vſque magnæ mutationes in acutis, imparibus ſæpe propter acceſſiones, minores quæ ad vigeſimum, criticum magis quàm vigeſimumprimum, ex tribus ſeptimanis prima & ſecunda diſiunctis, tertia cum ſecunda coniuncta, indeque ſupputatione factâ non per dies integros, longiore facto morbo, faciliorique redditâ excretione. In peracutis & acutis quæ fiunt iudicia vno vt plurimùm die terminantur, in longis duos tresve occupant, quorum cui magis tribuenda criſis, dicet dies index, acceſſionum analogia, dierum natura, decernendi temporum numerus, tempus criſis.

POST vigeſimum idem circuituum ordo. Decernit vigeſimus ſeptimus, habet & trigeſimus quartus vim effatu dignam, hoc quadrageſimus maiorem, his minorem vigeſimus quartus & vigeſimus primus. Trigeſimusſeptimus dubius, coincidens magis quàm criticus. Reliqui inter vigeſimum & quadrageſimum inanes. Tempore multum de vehementia & efficacia remittunt criſes, ſic & dies, adeò vt poſt quadrageſimum langueant, quanquam & interdum ſexageſimo, octogeſimo, conteſimo, centeſimoque & vigeſimo fiat vera & bona criſis. Ab his morborum alij menſibus, & anni quadris ſoluuntur, ſic hyemales vere. Alij per ætates, ſic morbi connutriti in ſenecta relinquunt, & per concoctionem, & ſolutionem, & rarefactionem. Dierum & ſeptimanarum circuitus lunæ, propter velocem eius motum, referendi, menſium & annorum ſoli, motu, lumine, & influxu (ſicut & ſuperiora omnia) hæc immutanti, animalcula generanti. Lunæ vis duplex agendi, à ſole altera, prout ab eo recedens, ad eumve accedens, aut cum eo coniuncta plus minusve luminis recipit; hi receſſus fiunt peculiari lunæ motu, non ſemper æquali. Sic poſt coitum & plenilunium celeres mutationes, διχότομος vehementiſſimas, ſilens diuturnas & inæquales, omnium obſcuriſſimas in falcatis & incuruis ſchematiſmis. Altera vis vt Zodiacum percurrit. Sic eius diametræ & tetragonæ ſtationes (luna non eſt ſtationaria) in principiis bonis optimæ, in malis peſſimæ.

Ergo dies vigeſimus criticus.

ASSERIT ANDREAS DV CHEMIN SENOMANENSIS LAVALÆVS, ANNO DOM. 1602.